



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXIX. De Conversione, & Instructione Nicodemi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

8 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

Paulus ait: 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quia Templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis? si quis autem Templum DEI violaverit, disperdet; illum DEVS. Templum enim DEI Sanctum est, quod estis vos.*

PUNCT. III. Viso Christi adversus Templi profanatores Zelo, subjungit S. Joannes. v. 17. *Recordati sunt verò Discipuli ejus, quia scriptum est (Ps. 68. v. 10.) Zelus Domus tuæ comedit me.* Nempe sicut ignis videtur comedisse ferrum candens, quod replevit; ita Zelus Domus DEI comedit, & replevit animum Christi Domini. Cùm itaque & nos ipsi, & Proximi nostri sint Templum, ac Domus DEI; simili Zelo exardescamus, ad impediendam in nobis, & in Proximis nostris omnem actionem, dedecentem Templum DEI, & contrariam Honori Divino. Rogemus etiam Christum Dominum, ut pro suo Zelo erga homines, eijciat è nobis, quidquid ipsi in nobis displicet; ut adeò intret Templum nostrum, ibique habitet, doceat, omnesque actiones nostras dirigat.

MEDITATIO CCXIX.

De Conversione, & Instructione

Nicodemi. Ioan. 3.

PUNCTUM I. Cùm Christus initio Prædicationis suæ Jerosolymam ad Festum Paschale ibi celebrandum ascendisset, ac negotiatores è Templo ejecisset, omnibus prodigioso terrore injecto, ut, quantumvis nondum Miraculis se Filium DEI probasset, nemo tamen auderet se illi opponere; mox cæpit Miracula edere, &, ut inquit S. Joannes. cap. 2. v. 23. *Cùm esset*

esset Jerosolymis in Pascha, in die Festo, multi crediderunt in Nomine ejus, videntes Signa ejus, quæ faciebat. Ipse autem **JESVS** non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nòsset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine. Ex hoc itaque colligitur, omnes esse amandos, omnibus esse benefaciendum, prout Christus Doctrinam & Miracula sua publicè in omnium auribus & oculis edidit; cum nemine tamen esse privatam amicitiam, & familiaritatem facilè contrahendam; nemini, quæ occulta esse oportet, esse prodenda; in nullo homine ita fiduciam collocandam, ut *Quis ponat carnem brachium suum.* Jerem. 17. v. 5.

PUNCT. II. Inter credentes in Nomine Christi ob visa Signa, quæ faciebat, erat etiam Nicodemus, Princeps Judæorum, & Legis Doctòr. *Nic venit ad JESVM nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à DEO venisti Magister. Nemo enim potest hæc Signa facere, quæ tu facis.* Joan. 3. v. 2. Causa hujus nocturni adventus potuit esse, vel quòd Legis Doctorem puderet, alijs videntibus & scientibus, ad Christum de die venire; vel quòd timeret alios Christo infensos; vel quòd Christus toto die alijs docendis in Templo occupatus, privatim non nisi nocte conveniri posset. Quæcunque ex his causa fuerit, te non pudeat ab alio instrui, & multarum rerum ignorantem videri: nec moveant humani respectus. Quòd si quacunque ex causa de die impeditus fueris cum DEO de rebus Animæ tuæ agere, ex gr. coactus Meditationem differre; venias saltem ad DEVM nocte. Et quemadmodum Christus, quantumvis diurnis laboribus fessus, importuno tempore venientem benevolè

suscepit, & longa oratione instruxit: sic Proximo etiam importuno, ac incommodo tempore te libenter impertias.

PUNCT. III. Considera, quòd sicut Nicodemus profuit, ut ad Christum veniret, ac Salutem ab ipso consequeretur; sic adversa, & tribulationes, quæ in sensu Morali & Metaphorico noctis vocabulo designantur, plurimum nobis proficiant, ut ad DEVM accedamus, & Salutem consequamur. Hinc Psalmista DEVM alloquens inquit Pl. 82. v. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et propriam experientiam allegans Pl. 16. v. 3. ait: *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Sic & tu invigila, ut nocte venias ad DEVM, & per adversa sapientior ac melior reddaris, ne inveniatur in te iniquitas.

MEDITATIO CCXX.

Continuatio Sermonis Christi

cum Nicodemo. Ioan. 3. v. 3.

PUNCTUM. I. Quia Nicodemus agnovit Christum, Magistrum à DEO missum; ideo, ut ex responsione Christi patet, interrogavit eum, quid faciendo Vitam æternam, & Cæleste Regnum possideret. Respondit JESVS, & dixit ei: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum DEI.* Ioan. 3. v. 3. quod magis declarans, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Ioan. 3. v. 5. Itaque gra-